QVÆST. VIII.

Vtrum genus sit principium speciei?

Etenim principium quiddam est huiusmodi genus earum, quæ sub ipso sunt specierum.

VÆRITVR: vtrũ genus sit principiũ speciei? Quod non videtur: quia idem non est principium, & principiatum: quia principium, & principiatum, distinguuntur: sed genus est idẽ speciei: ergo non potest esse principium speciei: maior patet: probatio minoris est duplex: prima est hæc: quia genus, secundum Philosophum, nihil aliud est, præter eas, quæ sunt generis, species. *7. Metap. Tex. com. 43.*

Item: genus prædicatur de specie per se: hæc enim est per se: homo est animal: sed quod prædicatur per se de aliquo, non est distinctum ab illo: ergo est idem sibi.

Item: genus est totum respectu speciei: ergo non est principium eius: consequentia probatur: quia principium est simplicius principiato: sed totum est cõpositius eo, cuius est: & antecedens patet per Auctorem in littera: vbi dicit: genus est totum respectu specierum. *Cap. de specie.*

Ad oppositum est Auctor in littera in comparando tertiam significationem generis ad primam: vbi dicit, quod sicut genus tertio modo dictum est principium specierum: sic genus primo modo dictũ est principium multitudinis.

Ad Quæstionem dicendum: quod sic, sumendo genus pro natura, in qua fundatur ipsa intentio, & non pro intentione: quod declaratur sic: genus est essentiale principium cognoscendi speciem: ergo est essentiale principium speciei: consequentia probatur: quia diffinitio faciens scire diffinitum exprimit essentialia principia diffiniti: quod est speciei solum proprie loquendo: quia nihil proprie diffinitur, nisi species: antecedens patet per Phylosophum sexto Topicorum.

Sed sciendum: quod essentiale principium speciei est duplex: quoddam secundum rem, quod est pars rei in existẽtia: cuiusmodi sunt materia, & forma: aliud secundum rationem, quod importat eandem rem sub modo indeterminato, quam species importat, modo determinato. & hoc, si illud nomen imponatur ad significandum illam rationem, prout sumitur, vel à materia, vel à forma: nunc autem genus (puta animal) nõ est principium speciei (puta hominis) primo modo, scilicet, secundum esse: quia si sic: tunc non verè prædicaretur de ea: ergo est principium speciei, secũdo modo: & ideò si homo debeat diffiniri: cum diffinire sit actus rationis: in eius diffinitione debet poni animal, tanquam principium speciei, secundum rationem; & æque ratione: & sicut in re, natura materiæ extraneatur naturę formę: ita quod neutrum est dicibile de altero: ita apud rationem, intellectus generis extraneatur intellectui differentiæ: licet eadem res importetur per vtrumque: idem enim significat animal, quod homo, præter determinationem vltimæ formæ: & hoc significat per modum, quid, & per se dictum: & ideò secũdum Porphyrium, prædicatur in quid. Rationale autem idem significat cum determinatione vltimæ formæ: sed tamen per modum qualis, & denominantis: & ideò apud rationem, conceptus generis, & differentiæ, sunt extranei.

Et propter rationes est sciendũ: quod hęc est differentia inter partes rationis, & partes secundum rem: quia licet vtrumque significet partes totius: partes tamen secundum rationem significant partes totius, per modum totius: partes autem secundum rem significant partes, per modum partis: verbi gratia, genus hominis (puta animal) est pars eius secundum rationem: nam à sua prima impositione imponitur ad significandum partem hominis: puta habens animam sensitiuam: quia tamen eam significat, per modum totius, & non per modum partis: ideò verè prædicatur de homine: sed non est sic de parte secũdũ rem: quia es, quod est pars materialis statuæ, significat partem, per modum partis; & ideò de statua non potest prædicari.

Per

Per hoc ad rationes dicendum; quod non est inconueniens, idem esse totum, & partem, diuersimode; ideò dicit Boetius libro Diuisionum; quod genus in prædicatione est totum; in diffinitione vero est pars.

Summa textus, simul & explicatio.

PROPTER comparationem, quam facit Porphyrius inter tres acceptiones generis dicens: genus in tertia acceptione esse principium specierum; sicut etiam in prima, & secunda, principium appellatur: vltimo mouet Doctor præsentem difficultatem ad determinandum; an prædicta Porphyriana comparatio sit ad rem: nec ne? Partem negatiuam probat tribus rationibus satis in littera patentibus: deinde affirmatiuè respondet loquendo de genere, & specie, pro fundamentis: probat conclusionem: quia genus est essentiale principium cognoscendi speciem: ergo est eius principium: antecedens est certum: & consequentia, licet posset probari ex secundo Metaph. text. 4. vnumquodque, sicut se habet ad esse, ita ad cognosci: probatur tamen aliter à Doctore: quia diffinitio faciens scire diffinitum exprimit essentialia principia diffiniti, ex primo Topicor. cap. 4. Sed talis diffinitio datur per genus, & differentiam, sexto Topicorum cap. 1. & diffinitum est species, & forte solum specialissima, ex septimo Metaphy. text. 13. & 37. ergo, &c. loquitur enim Doctor de diffinitione; & diffinito, pro fundamentis, & prout ex natura rei inter se distinguuntur: vt ipse docet in primo dist. 2. quæst. 2. littera A. de quo Leuchetus ibidem, dist. 8. quæs. 3. Tandem, positis quibusdam notabilibus, pro intelligentia dictorum, & argumentorum solutione; breuiter illa soluit: de quibus omnibus nulla se se offert dubitatio: quia iam supra in hoc cap. quæs. 4. per aliquos Articulos sunt discusa, & examinata: & ideò in præsenti illis super sedemus. *Conclu.*